

**De urina sedimentum caeruleum demittente : observatio rarior januae  
habita mense Septembris 1809.**

**Contributors**

Batt, William, 1744-1812.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Genuae : Ex typographia J. Giossi, 1809.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/varmg8zj>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

1.  
Drack 1631

DE URINA  
SEDIMENTUM CÆRULEUM DEMITTENTE  
OBSERVATIO RARIOR

JANUÆ HABITA

Mense Septembris 1809.







---

# DE URINA

SEDIMENTUM CÆRULEUM DEMITTENTE.

---

**J**ANI Planci, viri perquam docti, Epistola De Urinâ Venetâ (\*) extat in parte primâ tomî quinti Commentariorum Instituti Bononiensis anno 1767 editorum.

Urinæ Venetæ titulum ex versione Latinâ operum Actuarii sumpsisse auctorem plus satis constat. -- Actuarius, Medicorum Græcorum, quos eruditos vocamus, ~~utillimus~~ habitus, libros aliquot Galeni doctrinam imprimis tuentes reliquit; et inter hos De Urinâ plures.

---

(\*) Colorem Venetum cum Cæruleo Berolinensi perperam confudit Plancus, eo delusus quod in Actuarii editione Latina alicubi habeatur; Venetus vel Cæruleus. In libro Græco verbum *Κυανέος* inveniri suspicor; quod coloribus diversissimis applicatur, longè autem sæpissimè nigrum, aut colorem nigro proximum indicat; quod millenis exemplis constat.



Textum Græcum nunquam ipse vidi, neque an unquam prælo traditus fuerit sat certè scio. -- Mathisius, Pisarum Medicus, in dedicatione editionis Latinæ Actuarii quæ Parisiis anno 1556, typis Aldinis prodiit, monet se operam dedisse ut sententiam Græcis chartis traditam luculenter, et planè exponeret, quatenus licebat per exemplar quod unicum, atque id plurimum depravatum, habere contigit.

Qualis sit color ille Venetus sat præcisè his verbis docuit Actuarius. -- Ex puro albo atque nigro, æquâ ratione permixtis gignitur; et si id ipsum etiam sensu velis nosse, cerussam, vel albissimam calcem, vel simile aliquid, atramento, vel pici, vel bitumini, aliisve sinceris nigris si miscueris, æquis ponderibus, Venetum colorem eo modo productum videris. -- Et in lib. I, De Judiciis urinarum, Caput vigesimum inscribitur De Judiciis Venetarum, Lividarum, atque Nigrarum Urinarum. -- Caput ipsum sic incipit. Urinarum veneta, livida, atque nigra eodem colore tinguntur, quæ intensione vel remissione tingentis humoris nactæ sunt diversos colores, atque nomina diversa. -- Idem testatur caput totum, in quo est historia servi istius, qui, domino jubente, medicamentum valdè amarum biberat sanus, indeque triginta circiter stadia pedes celeriter percurserat; mox autem a cursu urinam ipsi nigram visam eminxit; posterâ die venetam.

Omissis igitur quæ Actuarium spectant, utpote a urinarum colore Berolinensi longè abludentibus, ad historiam, quam refert Plancus, accedam. -- Vir boni alias temperamenti, sexagenarius, ante annos binos dysuriâ, ut calculum in vesicâ



mentiretur, laboraverat. Curatus autem demulcentibus longè melius habebat. Tandem ex gravibus animi perturbationibus in febrem typhodem incidit. Post tertiam a decubitu diem reddere cæpit, cum urinis, sedimentum pulchri coloris cærulei, veluti cyanei illius veterum quod ultramarinum vocant, seu veluti cæuli Berolinensis, quod Plancus mane per tres dies collegit in chartulis, et ad solem exsiccavit. Deinde alios tres dies urinam, quam noctu reddebat æger, in qua potissimum cerni solebat sedimentum cæruleum, ut ad se mane deferretur, curavit Plancus. Illa subviridis apparebat, cum insigni salis ammoniaci graveolentiâ. Per chartam bibulam urinam delatam colabat, manente supra chartam sedimento, quod exsiccatum pulvisculum referebat ærugini Massiliensi per quam similem. -- Ultimis tribus ante obitum diebus ægri urina colligi amplius nequibat, quia æger viribus destitutus eam guttatim in lectulo reddebat; sed urina tunc quoque lintea insigni colore cæruleo inficiebat.

III. Zimmermann, in egregio suo de Experienciâ Tractatu Zurigæ, linguâ Germanicâ, anno 1763 edito, tom. 1, pag. 383 etc. de urinis hisce a Planco observatis verba facit; at unde hujus rei notitiam sumpserit Zimmermann planè nescio. -- Planci epistola in Commentariis Instituti Bononiensis anno 1767 tandem prodiit, neque prius quod sciam. -- Utcunque res hæc se habeat, ista quæ fert Zimmermann a paginis Bononiensibus adeo discrepant, ut ille Plancum erroris sat crassi insimulet, qui non sentiret colorem Berolinensem in sedimento, non in ipsa urina com-



paruisse, quod urina in matulâ ænea diutius servata, et vapore ammoniacali saturata esset. -- Talem improbationem nunquam certè objecisset Zimmermann, si novisset urinam hanc nullo vase exceptam, sed guttatim tres dies continuos supra lintea stillantem hæc colore pulchrè cæruleo usque tinxisse.

Plancus, eo ductus, ut videtur, quod Actuarii servus ille medicamentum valdè amarum ante mictam urinam nigricantem hauserat, amarorum usui urinæ colorem Berolinensem quoque tribuendam commentatus est, adeoque suspicionem injicit de amaris ab ægro suo, ut hariolatur, clam acceptis; et insuper ex amaris conflata fuisse vult pilulam istam purgantem, post quam acceptam se urinam quoque cæruleam minxisse memorabat mulier quædam sexagenaria, Planco cognita. En quot suspensiones inanes! Nam neque Actuarii servus urinas minxerat ceruleas; neque mulier illa sexagenaria, si reverâ urinam cæruleam ante annos viginti minxerat, ullam pilulæ acceptæ amaritudinem accusabat. -- Meminit tamen hæc, se dicto tempore affectionibus hystericis propter catameniorum penuriam laborasse; adeo ut haud aliena esset suspicio, illam præparationibus quibusdam martialibus tunc temporis usam fuisse.

Hactenus de observationibus alienis: nunc quæ ipse vidi breviter exponam.

Diebus ultimis augusti, et primis aliquot septembris anni præsentis 1809, urina puellæ septennis fere sedimentum deponere observata est quod matulæ fundum, et parietes quatenus alluebat urina, pulcherrimo colore cæruleo,



sicut a cæculo Berolinensi, tingeat. Color iste quidem, nisi post frigefactam urinam, depositumque sedimentum, haud fuit notatus: an id acciderit quia nondum evolutus color, an propter urinæ diluentis copiam, haud satis constat.

Transmissa per chartam emporeticam urina nil quidem cærulei præ se ferebat, at supra chartam manebant sedimenti particulæ cæculæ.

Matulam cum urina ad expertissimi Chimici, et Professoris publici, Josephi Mojon laboratorium deferri curavi, ubi ille, me coram, facillimis experimentis invenit sedimentum hoc esse Prussias Ferri. -- Sedimenti pars matulæ parietibus adeo arcte adhærebat, ut inde non sine magna difficultate abstergeretur. Matula terrea erat, Majolica dicta, crustâ vitreiformi coloris planè lactei obducta, unde forsân sedimenti color paulo dilutior, eoque pulchrior visus.

Puella hæc, propter aliqualem ventriculi inertiam, jam septimanas aliquot, quotidie ferè, grana sex Oxydi istius nigri, ferruginei, quod Aethiopem Martialem vocant, accipiebat; at optimè muneribus suis jam fungente ventriculo, et salute inculpabili redintegratâ, mox post observatas hasce urinas ferro valedixit.

Causarum, quæ rarissimo huic sedimento formando conspiraverint, rationem me latere fateor. Pronum quidem est credere, Ferri oxydum sostrum contulisse: at cum frequens adeo sit ferri usus, cur rarum adeo est hoc phænomenon, et bis tantum Medicis observatum? Neque enim id oscitantiae et incuriae tribui posse arbitror, cum coloris singularitas, et pulchritudo, vel ideotarum admirationi excitandæ sit.



De sedimento tandem urinarum, quas vidit Plancus, diebus intermediis tribus æruginem Massiliensem æquiparante, nihilo planior est ratio.

Genuæ, die 20 septembris 1809.

WILLIAM BATT M. D. M. M. C.

Prof. Emerit.

---

GENUÆ, ex Typographia J. Grossi 1809.